



**R. P. Maximiliani Sandæi E Societ. Iesv Doct. Theol.
Paradisvs Amantium, Colentium, Imitantium Christvm
Crvcifixvm**

Sandaeus, Maximilianus

Coloniae, 1648

5. Vouet Deo se moriturum in Cruce, vel conditionatè, si sic illi placeat, vel absolutè, habitâ Crucifixionis suæ reuelatione diuinâ.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55065](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55065)

IO CHRISTVS CRUCIFIXVS

V.

AMATOR CRUCIFI

vouet Deo se moriturum in Cruce, vel
conditionatè, si sic illi placeat, vel ab-
solutè, habitâ Crucifixionis sue
revelatione diuinâ.

*Votum
Christi de
Cruce
subeundâ.*

EXEMPLVM huius habet in CRUCI-
FIXO. Siquidem tradunt DD. Scho-
lastici, nec refragantur antiquiores Ec-
clesiæ Patres, & Magistri, CHRISTVM
IESVM simul ac in Virginis Matris utero
cepit homo esse, VOTVM CRUCIS
subeundæ suscepisse, DEVM Patrem
gratissimum hoc habuisse, ac mandasse
ut solueret.

*Præceptū
moriendi
pro homi-
nibus.*

Vnius ex æui nostri magnis Theo-
logis est ista commentatio. a. Ali-
qui probabiliter opinantur, sicut CHRI-
STVS habuit præceptum moriendi pro ho-
minibus, ita etiâ de eadem re votū emisisse.
Atq; ad hoc accommodant illud Psalmi b:
Vota mea Domino reddam. Nam Psal-
mum illum de CHRISTO omnes interpre-
tantur: in eo enim habentur verba illa, qui-
bus CHRISTVS in CRUCE usus est: DEVS
DEVS meus quare me dereliquisti? &
ita Glossa ibi verba illa de Christo interpre-
tatur.

Et quamvis D. Thomas probabiliter di-
cat

ear, Christum ibi esse loquutum in personâ
 suorum membrorum, si tamen propriè & si
 ne incommodo potest de Christo intelligi, cur
 non ita interpretabimur. Nam & Hierony-
 mus ibi inter alia inquit: Vota Christi
 sunt, Natiuitas, vel PASSIO, vel myste-
 rium Corporis & Sanguinis eius. Quæ
 non possunt vota dici, nisi quatenus voto ob-
 lata sunt. Eodem ferè modo exponit Augu-
 stinus ibi: Basiliius verò & Theodoretus ad-
 dunt, votum ibi propriè significare promif-
 sionem. Est igitur probabile, Christum in
 primo instanti conceptionis suæ, se voto con-
 secrasse DEO ad redimendos homines, & in
 hunc finem omnes actiones, ac Passiones vi-
 tæ suæ (inter quas primaria fuit CRUCE-
 FIXIO) voto obtulisse.

Vota
 Christi.
 Natiui-
 tas.
 Passio.
 Mysteri-
 um.
 Euchari-
 sticum.

Alius t. hunc ferè in modum disse-
 rit: CHRISTVM ipso momento, quo hu-
 manitas cum Diuinitate hypostaticè
 coniuncta est, plenum rationis, sancti-
 tatis, ac beatitudinis, DEI essentiam, ri-
 su Cœlitum, infinitis tamen partibus
 perfectius intuitum, pro tanti beneficii
 immensitate, totum se DEO Patri, to-
 tum, inquam, FILIUM DEVM HOMINEM
 factum, ad omnes pro liberandis mor-
 talibus indignitates, & ipsius CRUCIS
 contumeliam, & infamiam se libentem
 volentem, concepto voto, obtulisse. Cū
 enim